

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 19032/87 CG

N

Nullitatis matrimonii

Incid., querelae nullitatis adversus Decretum rotale diei 26 novembris 1986

Prael., exceptionis incompetentiae huius Supremi Tribunalis

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

1. IOANNE PAULO PP. II, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis suae anno XII, die 31 martii 1990, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis PP.DD. Achille Silvestrini, Praefecto, Silvio Oddi, Petro Palazzini, Ponente, Opilio Rossi, Aloisio Dadaglio, Simone Lourdusamy, Rosalio Josepho Castillo Lara, Alphonso M. Stickler, in causa N, Incidentis querelae nullitatis et Praeliminaris incompetentiae huius Supremi Tribunalis, inter X, recurrentem, repraesentatum per Procuratorem Adv.tum Conradum Bernardini, et Y, partem resistentem, repraesentatam per Procuratorem Adv.tum Sebastianum Villeggiante, intervenientibus in causa prius R.P. Xaverio Ochoa, tanquam Promotore iustitiae deputato, nunc defuncto, et dein, Rev.mo P. Francisco Daneels, prius tanquam Substituto et postea tanquam Promotore iustitiae pleno iure, intervenientibus quoque prius Defensore vinculi Substituto, Rev.mo D.no Dominico Semproni, dein Rev.mo P. Guillelmo O'Connell, Defensore vinculi, et denique Rev.mo Mauritio Bouvier, Defensore vinculi substituto, hanc tulit definitivam sententiam.

I. FACTISPECIES

2. Die 24 iulii 1984 D.nus X accusabat nullitatem sui matrimonii N contracti cum D.na Y apud Tribunal Z ex simulatione totali et, subordinate, ob exclusam bonam prolem, sacramenti et fidei.

Inde a litis contestatione pars conventa varias quaestiones movit et causas incidentales adversus modum procedendi Vicarii iudicialis adiuncti N proposuit, praesertim quoad causae instructionem. Dein pars conventa quaestiones incidentes proposuit de nullitate aliquorum actorum. Demum sibi constituit Adv.tum Sebastianum Villeggiante tanquam Patronum ex fiducia.

Tribunal Z decreto collegiali diei 8 iunii 1985, expeditissime decrevit (can. 1589) propositas a parte conventa quaestiones esse a limine reiciendas.

Dein decreto Praesidis diei 10 iunii eiusdem anni, coarctabatur numerus testium a parte conventa propositorum.

Tunc, die 13 iunii 1985, Patronus partis conventae querelam nullitatis et appellationem ad Tribunal Rotae Romanae adversus decreta Tribunalis Z dierum 8 et 10 iunii 1985 interposuit. Ideo, die 25 iunii 1985, Romana Rota omnia acta causae a Tribunali Z petiit.

Attamen Tribunal Z, decreto diei 25 iulii 1985, propriam competentiam (vi cann. 1601 et 1624) vindicavit ad videndam querelam nullitatis et inappellabilitatem decreti diei 8 iunii 1985, vi can. 1629, nn. 4^o et 5^o et can. 1589, §1.

E contra Patronus partis conventae Rotae Romanae Tribunal adiit, et:

a) instantia diei 5 novembris 1985, cui accesserunt et Promotor iustitiae (20 nov. 1985) et Defensor vinculi (20 nov. 1985) ut Exc.mus Rotae Romanae Decanus causam ad Rotam advocaret, ex commissione pontificia, petiit;

b) instantia diei 21 novembris 1985, querelam nullitatis et appellationem nedum adversus decreta Tribunalis Z dierum 8 et 10 iunii 1985, sed etiam adversus decretum ipsius Tribunalis diei 25 iulii 1985 proponit, et praeterea, via subordinata, petitionem restitutionis in integrum contra praedicta decreta tribunalis Z. De hac re edoctum fuit etiam hoc Supremum Tribunal, quod tamen non intervenit.

Rev.mus autem Ponens Gianneccchini decrevit, die 28 novembris 1985, instantiam partis conventae “reiciendam esse et hoc decreto reicit. Acta in archivio reponantur”.

Tribunal Z coram quo causa prosequabatur, die 30 maii 1986, emisit decretum conclusionis in causa.

3. Patronus partis conventae, die 4 iunii 1986, apud Tribunal Z et dein, die 25 iunii 1986, apud Romanam Rotam ea quae sequuntur, proposuit:

a) querelam nullitatis et appellationem adversus decretum, saltem implicitum, Tribunalis Z quo reiecerat instantiam diei 18 martii 1986 partis conventae, petentis supplementum instructoriae;

b) querelam nullitatis et appellationem adversus decretum conclusionis in causa, editum die 30 maii 1986;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

c) petitionem advocationis causae ad Rotam Romanam vi facultatum Decano Romanae Rotae a Summo Pontifice concessarum (AAS 74, 1982, 516).

Turnus Rotalis c. de Lanversin a Decano Romanae Rotae constitutus (2 iulii 1986), die 26 novembris 1986, decrevit:

1) “appellationes adversus decreta de quibus supra admittendas non esse, in casu;

2) quoad querelas nullitatis adversus eadem decreta, pars conventa se gerat ad mentem can. 1624 C.I.C.;

3) iter processuale atque peculiaria adiuncta suadere causae avocationem ad hoc Apostolicum Tribunal”.

Adversus hoc Decretum Rotale Patronus partis actricis interposuit, die 22 martii 1987, querelam nullitatis specificè “quoad numerum tertium partis dispositivae, qua decernitur avocatio causae iam a primo iudicii gradu ad Apostolicum Tribunal Romanae Rotae”. Patronus partis conventae in sua responsione diei 27 martii 1987 vindicavit querelam nullitatis penes hoc Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae esse omnino improponibilem et qua talem reiciendam, deficiente gravamine et deficiente materia querelae nullitatis obnoxia. Idem Patronus, visis voto pro rei veritate Rev.mi P. Ochoa, animadversionibus Rev.mi Semproni et instantiis partis adversae, dein, die 30 decembris 1987, formalem exceptionem movit in linea praeliminari de incompetencia huius Supremi Tribunalis in interpretandis normis extraordinariis de facultate a Summo Pontifice delegata Exc.mo Decano Romanae Rotae. Idem Patronus, inspectis scriptura Patroni partis adversae, voto Rev.mi Promotoris iustitiae deputati necnon animadversionibus Rev.mi Defensoris vinculi Substituti, in responsione diei 21 ianuarii 1988 suam exceptionem fusius illustravit.

De exceptione proposita actum est in duplici Congressu diei 26 ianuarii 1988 et 13 aprilis 1988; in quo ultimo Congressu decretum fuit: “1. Exceptio incompetenciae, quatenus die 30 decembris 1987 modo generico proposita est, reicitur. 2. Exceptio praeliminaris de huius Supremi Tribunalis incompetencia ad videndum de nullitate vel minus consilii advocandi causam, a Turno Rotali c. de Lanversin in decreto diei 26 novembris 1986 Exc.mo Romanae Rotae Decano dati - deferitur Patribus Cardinalibus.

3. Admittitur *subordinate* ad disceptationem, si et quatenus, ipsa querela nullitatis adversus praefatum decretum rotale”.

4. In contestatione litis diei 18 iulii 1988 concordatum est hoc dubium: “An constet de incompetencia huius Supremi Tribunalis ad videndum de nullitate vel minus consilii advocandi causam a Turno Rotali coram de Lanversin, in decreto diei 26 novembris 1986 Exc.mo Decano Rotae Romanae dati; et subordinate an constet de nullitate eiusdem decreti Rotalis”.

Cl.mus Patronus partis actricis die 3 octobris 1988 restrictum facti et iuris pro actore et cl.mus patronus partis conventae die 12 octobris 1988 memoriale pro parte conventa resistente exhibuit. Hoc Supremum Tribunal dein decretis dierum 27 ianuarii et 17 martii 1989 quibusdam novis instantiis Patroni partis conventae respondit. Rev.mus Promotor iustitiae, F. Daneels, loco Rev.mi P. X. Ochoa, die 25 novembris 1989 votum prompsit pro rei veritate. Cessato Rev.mo P. O’Connell ratione aetatis a munere Defensoris vinculi, Rev.mus P. M. Bouvier, Defensor vinculi Substitutus, die 9 ianuarii 1990 animadversiones suas praesentavit. Acceptis responsionibus Patroni partis conventae (d. 19 ian. 1990) et Patroni partis actricis (d. 27 ian. 1990), Rev.mus Defensor vinculi Substitutus die 13 februarii 1990 declaravit se nihil addere debere. Rev.mus tandem Promotor iustitiae die 13 februarii huius anni votum ultimum pro rei veritate exhibuit.

Nobis respondendum est duplici dubio de quo supra.

Et in primis an constet de incompetencia huius Supremi Tribunalis ad videndum de nullitate vel minus consilii advocandi causam a Turno Rotali c. de Lanversin, in decreto diei 26 novembris 1986 Exc.mo Decano Rotae Romanae dati.

Et subordinate an constet de nullitate eiusdem decreti Rotalis.

IN IURE

5. Iuxta art. 122, 1º Const. Ap. *Pastor bonus*, Signatura Apostolica cognoscit “querelas nullitatis et petitiones restitutionis in integrum contra sententias Rotae Romanae” (cf. can. 1445, §1, 1º). Hic agitur de sententiis Rotae Romanae sine ulla limitatione ad solas sententias definitivas vel vim definitivae habentes.

Ad rem habetur in Normis Specialibus huius Supremi Tribunalis, art.19, §3: “Querela nullitatis produci potest non solum contra sententiam definitivam, verum etiam adversus interlocutoriam, a Sacra Rota quomodocumque emissam, dummodo tamen gravamen inde sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam, aut ipsa sententia vim habeat definitivae”. Discrimen hic fit inter sententiam interlocutoriam, unde gravamen “sit oriturum irreparabile per definitivam sententiam”, et eam quae “vim habeat definitivae”; Quoad sententiam interlocutoriam expresse declaratur *quomodocumque* emissam fuisse a Romana Rota; [quae omnia] etiam valent de huiusmodi decretis a Rota Romana latis, ut constat ex praxi huius Supremi Tribunalis; decretum, ceterum, de quo in artt. 110 et 114 Normarum Rotae Romanae, in earumdem art. 135, §2, sub nomine sententiae interlocutoriae venit.

Instructio “Provida Mater”, in art. 214, §2, loquens de sententia interlocutoria vel decreto, cuius gravamen per sententiam definitivam reparari nequeat, haec habet (cf. M. LEGA - V. BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, vol. II, Romae 1950, 930): “sententia vel decretum tunc censentur habere vim definitivae, quum gravamen inferant, quod non potest per definitivam sententiam reparari: ut puta si probationes quae in iudicium ferendum vere influere possunt, sententia vel decretum admittere recusent”. Sufficit, igitur, periculum ut sententia definitiva, postea ferenda, possit esse iniusta. Ad rem cl. mus Prof. S. Villeggiante recognoscere cogitur quod “Questo articolo conteneva un’affermazione di principio ed un esempio che, combinati insieme, praticamente hanno permesso la possibilità di appello ‘a quocumque gravamine’” (*Le questioni incidentali*, in *Il processo matrimoniale canonico*, Libreria Ed. Vaticana 1988, 247-288, vide 271).

Gravamen, quod non possit per sententiam definitivam reparari, haberi potest etiam in recusatione novarum probationum. De qua re non exigitur omnimode certitudo; sed sufficit periculum quod haec consectaria haberi possint.

6. Inter facultates a Summo Pontifice Exc.mo Decano Rotae Romanae commissas - quae Summus Pontifex IOANNES PAULUS II, in audientia Em.mo Cardinali Secretario Status die 26 iulii 1981 concessa, renovare et confirmare dignatus est - potestas habetur advocandi “al giudizio della S. Romana Rota una causa già pendente presso i Tribunali Ordinari, quando, avendo la medesima S. Rota apposte le mani in questioni incidentali riguardanti la causa stessa, fossero emerse irregolarità così gravi da fare

ritenere pregiudicato il successivo giudizio di merito se pronunciato dai Tribunali inferiori”. Hac facultate uti valet “sentito il parere favorevole del Turno giudicante” (AAS 74, 1982, 516).

7. Iuxta art. 19, §1, Normarum Specialium in hoc Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae servandarum, querela nullitatis contra sententiam rotalem proponi potest in casibus enumeratis in canonibus (1620 et 1622), “dummodo vitia ibi recensita manifeste appareant. In dubio, recursus fundamento destitutus habendus est”.

IN FACTO

8. Ad I^{um}: An constet de incompetencia huius Supremi Tribunalis ad videndum de nullitate vel minus consilii advocandi causam a Turno Rotali c. de Lanversin, in decreto diei 26 novembris 1986 Exc. mo Decano Rotae Romanae dati.

Iam vidimus in iure Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal cognoscere posse sive sententias definitivas Rotae Romanae, sive interlocutorias, dummodo tamen gravamen inde oriatur irreparabile per sententiam definitivam aut ipsa sententia habeat vim definitivae.

Quibus praemissis duplex quaestio fieri debet. In primis inquirendum est utrum decretum rotale impugnatum habendum sit ut verum decretum iudiciale, necne. Deinde videndum est utrum ex impugnato decreto, maxime ex parte tertia decisionis gravamen, quod non possit per sententiam definitivam reparari, exoriri possit.

9. Prima quaestio, igitur, est utrum decretum rotale in casu impugnatum haberi possit tanquam sententia interlocutoria a Rota Romana quomodocumque emissa, necne.

Quoad formam certo dubitari nequit decisionem impugnatam latam esse sub forma decreti iudicialis et quidem a Turno Rotali, iudicium ferente in quaestione incidentalis in aliqua causa iudiciali.

Insuper hic quodammodo impugnatur totum decretum (quod integre sumptum est sine dubio iudiciale), quatenus clarissimo actoris Patrono recurrentis nullum videtur ob internam contradictionem.

Utique specificè est tertia pars decisionis quae peculiariter impugnatur seu consilium datum a Turno Rotali, declarans causas exstare quae suadent causae avocationem ad Rotam Romanam per interventum Exc.mi Decani illius Apostolici Tribunalis. Turnus Rotalis nihil aliud facere poterat, quia

facultas decidendi ad Exc.mum Romanae Rotae Decanum pertinet. Sed iudicium emisit causas advocationis exstare (“iter processuale sat controversum atque peculiaria adiuncta”; recusationem supplementi instructionis). Non est, igitur, simplex consilium, sed est aperitio mentis ex parte Turni, quae Exc.mum Decanum Romanae Rotae ad agendum obligat seu ad decisionem circa advocationem causae sumendam.

Theoretice disceptari potest utrum iudices rotales in casu responsum suum specificè circa causae advocationem vi potestatis stricte iudicialis an vi potestatis administrativae cum foro coniunctae dederint; sed practice non est ambigendum impugnatum decisionem latam esse a Turno Rotali occasione definitionis alicuius causae incidentalis et circa concretam causam iudicalem. Proinde agitur de re iudicali; non autem de re, quae pertineat ad sic dictum contentiosum-administrativum. Insuper animadvertendum est decisionem iudicis, etiamsi si dicatur lata per potestatem administrativam cum foro coniunctam, non excludere per se impugnationem per viam iudicalem (cfr. can. 1479).

Praeterea, nec dicatur quidem solos actus a iudice “in contradictorio” positos per viam iudicalem impugnari posse. Etenim in casu habita est praevia disceptatio inter Patronos circa petitam causae avocationem. De cetero iudex sine contradictorio potest nonnullos actus definire v.g. designare curatorem. Huiusmodi actus nihilominus iudicialiter impugnari possunt.

Decretum impugnatum considerandum est tanquam declaratio alicuius facti iuridici, quae declaratio, ad normam can. 1400, §1, n. 1, est obiectum iudicii. Quapropter concludi debet decisionem impugnatum esse revera iudicalem decisionem.

10. Investigare nunc oportet utrum ex impugnato decreto rotali, et speciatim ex eiusdem parte decisoria sub n. 3, gravamen per definitivam sententiam irreparabile habeatur pro parte recurrente necne (cfr. art. 19, §3, Normarum H.S.T. Specialium). Revera si invalidum per hypothesim esset turni rotalis consilium advocandi causam ad Romanam Rotam et consequenter decisio advocationis nulla habenda esset, causa pertractaretur a Tribunali, quod ratione gradus incompetens esset. Haberetur in casu reale, attuale, imminens et valde probabile periculum invalidae advocationis causae.

Id sufficit ut pars actrix ad ius suum tuendum querelam nullitatis in casu proponere possit et consequenter ut hoc Supremum Tribunal de re videre valeat.

Neque dicatur extraordinarias facultates a Romano Pontifice Exc.mo Rotae Romanae Decano concessas advocandi causam ad suum Tribunal in primo gradu, datis quibusdam conditionibus, interpretari debere tanquam si esset ipse Summus Pontifex ad gratiam advocacionis concedendam. Etenim Exc.mus Decanus Rotae Romanae neque repraesentat eandem Personam Summi Pontificis, neque decretum quod emanat, servatis servandis, est rescriptum Romani Pontificis, quamvis ab eodem Decanus receperit facultates: quae tamen non sunt concessae industria personae, cum transeant, resoluto iure Decani, ad quamvis Decanum qui ei succedit.

11. Quibus omnibus sedulo perpensis et consideratis Em.mi Patres respondendum censuerunt: NON CONSTARE DE INCOMPETENTIA HUIUS SUPREMI SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNALIS IN CASU.

12. II^{um}. Ad dubium subordinatum attendentes, nempe an constet de nullitate decreti rotalis c. de Lanversin diei 26 novembris 1986, Em.mi Patres prae oculis habere debuerunt normam sancitam in articulo 19 §1 Normarum huius Supremi Tribunalis Specialium.

In casu plena et profunda investigatio facta est de allatis rationibus assertae nullitatis: investigatio quae non tantum partes, sed ipsos Promotores iustitiae, qui in causa intervenerunt, in conflictu adduxit. Attamen nullum allatum argumentum tam validum visum est, ut nullum declarari possit praedictum decretum.

Cl.mus actoris Patronus instat, in suo libello diei 2 martii 1987 “ut declaretur nullum decretum rotale diei 26 novembris 1986 ... specificè quoad numerum tertium partis dispositivae” ubi consilium datur advocandi causam iam a primo iudicii gradu ad Apostolicum Tribunal Romanae Rotae, quia haec advocatio “era già stata sostanzialmente respinta dalla Segnatura Apostolica e dal turno rotale coram Giannecchini” (ita in Memoriali diei 1^o iunii 1987).

Revera hoc Supremum Tribunal usque adhuc nullam decisionem tulit hac de re; sed tantum nuntium recepit de controversia exorta.

Rev.mus Ponens Giannecchini reiecit recursum et partis conventae accusationes contra forum N, sed hoc iudicium extenditur tantum usque ad tempus emanati decreti, non ultra. Turnus non poterat decernere de rebus futuris, seu de novis accusationibus et difficultatibus, quae, e contra, prae oculis habuit in suo decreto Turnus c. de Lanversin die 26 novembris 1986.

13. Quod decretum frustra nullitate increpatur, quia pars dispositiva contradictoria videretur. Nulla, enim, contradictio habetur, etsi quis optare posset clariorem loquendi modum.

Certe Turnus Rotalis in n. 2 partis decisoriae eiusdem decreti recurrentem remittit ad Tribunal Z; nec poterat aliter agere, stante canone 1624, iuxta quem de querela nullitatis “videt ipse iudex qui sententiam tulit”, data parti recurrenti facultate petendi subrogationem iudicis suspectis apud idem Tribunal.

Ita solvitur quaestio iuris de competentia Tribunalis per viam ordinariam.

Cum vero alia adstaret via interveniendi per facultates Exc.mo Decano Rotae Romanae a Summo Pontifice concessas, concurrente hac in re Turno iudicante per suum votum, Turnus rotalis ad examen subiecit quaestiones facti, utrum nempe adstarent, necne, circumstantiae a lege requisitae ad legitimandum interventum Exc.mi Decani Rotae Romanae, et conclusit exstare.

Ideo nulla contradictio habetur: in numero secundo partis decisoriae praedicti decreti solvitur quaestio iuris; in numero tertio solvitur quaestio facti.

14. Neque dicatur in numero tertio partis dispositivae decreti rotalis non allegari rationes necessario exponendas, nempe “irregolarità così gravi da fare ritenere pregiudicato il successivo giudizio di merito se pronunciato dai tribunali inferiori”. Etenim ad summum has rationes adstare debere dicendum est momento causae avocationis ab Exc.mo Romanae Rotae peractae, non momento consilii praestiti. Insuper allegare expresse irregularitates inventas potest nocere bonae famae ipsius tribunalis et iudicium eidem addictorum: quare potius implicite indicari solent. Demum in canone 90 loquitur de existentia iustae et rationabilis causae ad validitatem dispensationis, non vero de defectu motivationis in aliquo decreto: aliud est defectus existentiae iustae causae, aliud defectus motivorum exponendorum in aliquo decreto.

De cetero nequit loqui in casu de pleno defectu motivorum, quia saltem generico modo indicantur in numero quarto decreti rotalis impugnati.

Demum in can. 90, §2 expresse enuntiatur: “in dubio de insufficientia causae (dispensatio a lege) valide et licite conceditur”.

15. Incongruum, demum, est invocare in casu can. 38 et asserere Exc.mus Decanum Rotae Romanae non posse advocare causam ad Tribunal Apostolicum absque consensu utriusque partis in causa. Etenim nequimus in casu invocare ius quaesitum partium in causa.

Est iudex vel Tribunal, quod per legitimam citationem causam propriam facit et acquirit ius eam definiendi: exinde indirecte sequitur ius partium, in quantum ad hoc Tribunal et ad hunc iudicem pertinet eorum causam definire.

Sed si ex quacumque causa cadit ius iudicis, vel tribunalis, consequenter cadit et ius partium.

Si requireretur consensus partium ut Exc.mus Romanae Rotae Decanus uti posset facultate advocandi causas eidem a Summo Pontifice concessa, haec facultas ad nihilum redderetur, quia fere semper haberetur oppositio partis, quae favorem trahit ab assertis irregularitatibus.

16. Quibus omnibus attentis et consideratis, nulla valida ratio afferri potest ex qua nullitas decreti rotalis impugnati demonstratur.

17. Quapropter Collegium Em.morum Patrum, pro Tribunali sedens, ac solum Deum prae oculis habens, proposito dubio respondendum censuit uti respondet:

NEGATIVE AD UTRUMQUE, SEU AD I^{um}: NON CONSTARE DE INCOMPETENTIA HUIUS SUPREMI TRIBUNALIS IN CASU; AD 2^{um} NON CONSTARE QUOQUE DE NULLITATE DECRETI TURNI ROTALIS CORAN DE LANVERSIN DIEI 26 NOVEMBRIS 1986.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 31 martii 1990.

(Sign.ti)	Achilles Card. Silvestrini, Praefectus
	Silvius Card. Oddi
	Petrus Card. Palazzini, Ponens
	Opilius Card. Rossi
L + S	Aloisius Card. Dadaglio
	D. Simon Card. Lourdusamy
	Rosalius Joseph Card. Castillo Lara
	Alphonsus Card. Stickler

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

ET NOTIFICETUR omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 31
maii 1990

+ Zenon Grocholewski, Sec

Vicentius Cárcel Ortí, Canc.